1420

In nomine domini amen

Ad perpetuam rei memoriam. Ne error oblivionis gestis subtempore vers[...]bus in posterum pariat detrimenta. Alta regum et principum consilia decreverunt ea literarum an-
notacione et fidedignorum testimonio perhennari. Proinde nos Wladislaus dei gracia rex Polonie necnon terrarum Cracovie Sandomirie Siradie Lancicie Cuyavie Lythwa-
nieque princeps supremus Pomeranie Russieque dominus et heres. Significamus tenore presencium quibus expedit universis presentibus et futuris presencium noticiam habituris.
Quomodo attendentes pure fidei constanciam et multorum obsequiorum grata studia quibus Magnificus et Nobilis Johannes de Pylcza Serenissime principis domine Elizabeth
Regine Polonie et filius fidelis noster sincere nobis dilectus coram nostra maiestate presentes claruit et adhuc prestancius poterit exercere in futurum. Horum intuitu volentes
ipsum nostrarum graciarum prevenire favoribus et ad nostra vota continuo reddere promptiorem. Sibi districtum nostrum Tyczynensem in terra Russie puta ipsum opidum Tyczyn cum
omnibus villis suis villulis et allodiis ac omnibus eorum et singulis utilitatibus [...] proventibus et obvencionibus universis videlicet agris pratis campis silvis
borris nemoribus mericiis gaiis rubetis querc[et]is mellificiis aucupacionibus omnium ferarum venacionibus molendinis aquis fluviis piscinis lacubus piscaturis palu-
dibus rivulis et omnium aquarum decursibus et omnibus aliis attinenciis pertinenciis et appendiciis quibuscumque nominibus censeantur nullis penitus exclusis et que sunt ibi
propresenti vel poterint inantea quomodolibet adaugeri prout in suis metis et granicie[b]us longe et late et circumferencialiter sunt distincta. Proquoquidem eciam districtu
nostro Tyczynensi videlicet ipso opido Tyczyn et suarum villarum ac aliis preexpressis a Serenissima principe domina Elizabeth consorte nostra predicta dum adhuc in statu
viduali vitam duceret duo Milia Marcarum in quibus quingente marce latorum grossorum monete pragen. et centum quingente mediorum grossorum numeri et pon-
deris polonicalium fuerant intercluse urgente nobis necessitate recepimus. Hec ideo et predicta in animo revolventes ac eciam hoc quod prefata domina Elizabeth sincero motu
zelo amoris quo indesinenter nostram ambibat maiestatem districtum ipsius landisfactis dum adhuc vitam duceret in humanis cum omnibus pertinenciis nobis dedit et commisit
adtenendum et regendum ad tempora vite recensentes. Damus donamus conferimus tradimus largimur et perpetue assignamus. Confirmantes omne Jus Successionis quod sibi
in predicto opido et eius districtu exquocumque respectu competit atque debet per ipsum et suos Successores legittimos habendum tenendum utifruendum et pacifice perpetuis
temporibus possidendum necnon vendendum commutandum alienandum et ad suos suorumque Successorum usus beneplacitos convertendum prout sibi et ipsius Successoribus me-
lius et utilius videbitur expedire. Exaccione finali pro nobis et nostris Successoribus reservata et excepta. Hoc eciam specialiter addito et expresso quod si Johannem prefatum
non habita prole ab hac luce migrare contigerit et decedere extunc opidum predictum Tyczyn cum toto suo districtu ad sorores ipsius uterinas et earum Successores legittimos devol-
vantur pleno Jure. Harum quibus Sigillum nostrum Maiestatis est appensum testimonio literarum. Actum Wyslicie feria quarta proxima post festum Assumpcionis Sancte Marie
Virginis gloriose Anno domini Millesimo Quadringentesimo vigesimo. Presentibus ibidem Reverendo in Christo patre domino Alberto dei gracia Episcopo Cracovien. Necnon Magnificis
Strennuis et Nobilibus viris Cristino de Ostrow Castellano Cracovien. Johanne de Tarnow Cracovien. Nicolao de Michalow Sandomirien. Jacobo de Koneczpole Siradien. pala-
tinis. Mychahele de Czyzow Sandomirien. Floriano de Corithnycza Wyslicien. Johanne de Szczekoczyn Lublinense Castellanis et Petro Schafraniecz Subcamerario Crac.
ac aliis quampluribus fidedignis. Datum per manus eiusdem Reverendi in Christo patris Alberti dei gracia Episcopi Cracovien. Regni Polonie Cancellarii et Venerabilis Johannis De-
cani Cracovien. eiusdem Regni nostri Polonie Vicecancellarii sincere nobis dilectorum.

Cr: 34
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Ad relacionem eiusdem Venerabilis domini Johannis Decani
Cracoviensis Regni Polonie Vicecancellarii

363

M. Nicolai Hunczonis
Controversiae cũ Ioan
ne Hus Boemo

4